

ginatione, aliisque facultatibus, quae intelligentiae inserviunt, turbatis, usus intelligentiae, vel minuitur, vel omnino cessat¹. At, cessante usu intelligentiae, non idcirco cessat vita, quia cessatio intelligentiae secum non fert cessationem facultatum vegetandi, per quas vita animalis existit. Et sane, perturbato, vel prorsus cessante usu alicuius facultatis, non aliae facultates inde perturbantur, aut cessant, quam quae sine illa actiones suas exere re nequeunt. Atqui facultates vegetandi, quae ad vitam animalis pertinent, sine usu facultatis intelligendi operationes suas exere re possunt. Ergo, cessante usu intelligentiae, necesse non est, ut vita quoque cesset.

81. Obiic. 3^o Notum omnibus est in cadavere animalis, si qua scintilla electrica extremas partes nervorum percussit, motus contractilitatis in musculis produci; ac in capitibus recisis, vel membris amputatis motus contractilitatis aliquamdiu perdurare. Atqui huiusmodi motus in cadavere, et in membris corporis amputatis evenire non possent, si anima esset principium vitae corporis; quippe quod illi motus sunt vitales: in membris autem amputatis, et in cadavere anima non est. Ergo anima non est principium vitae corporis.

82. Resp. *Conc. mai.; neg. min. Neg. cons.* Falsum est motus contractilitatis, qui in cadavere, et in membris corporis recisis, aut amputatis observantur, esse actus vitales. Primo, nihil velat, quin aliquod principium actuosum physicum, aut chymicum in musculis corporis nonnullos motus producat illis similes, quos, dum animal vivit, anima in ipsis producit; propterea quod organa in cadavere non corrumpuntur illico, sed integra aliquamdiu perdurant. Verum illi motus non sunt actus vitae, sed operationes mere physicae, quia non proficiscuntur a principio ipsi cadaveri insito, sed in cadavere a principio, quod positum extra ipsum est, excitantur. Secundo, motus contractilitatis, qui in membris corporis recisis, aut in cadavere animalis violenta, subitaque morte percussis observantur, non ab alia causa repetendi sunt, nisi ab actione, quam principium vitae ante mortem animalis in musculis exeruit. Nam, quoties animal morte violenta afficitur, aut aliquo membro per violentiam privatur,

¹ Cf s. Thom., *Contr. Gent.*, lib. III, c. 84. *Vid. Dynam.*, c. IV, art. 2, p. 129-130, vol. I.

necesse est in cadavere, aut in membro reciso motus, quos anima iam in musculis produxerat, non illico cessare, perinde ac chorda pollice icta, digito amoto, non continuo vibrare desistit. Quapropter ne hi quidem motus contractilitatis sunt veri actus vitae.

CAPVT V.

De sede animae

ART. I. Philosophorum diversae opiniones recensentur

83. Mirum quot circa sedem animae veteres Philosophi protulerint sententias¹. Ut praecipuas inuamus, Plato animae sedem in capite locavit. Aristoteles, cum animam formam substantialem corporis esse docuerit, eam singulis partibus arcto nexu coniunxit. Stoici animam rationalem in corde praecipuum locum obtinere, atque inde per reliquas corporis partes se protendere opinati sunt². Denique nemo est, qui negat Epicurum animam posuisse in pectore, seu, ut Tertullianus inquit, *in tota lorica pectoris*³.

84. Quod spectat ad Ecclesiae Patres, ferme omnes Aristotelem hac in re sequuntur. Audiatur prae caeteris s. Augustinus. « Anima, inquit, non modo universae molis corporis sui, sed etiam unicuique particulae illius tota simul adest⁴ ». Hanc s. Au-

¹ Cf Plut., *De plac. Phil.*, lib. IV, c. 5.

² Hic abs re non erit adnotare testimoniis ss. Scripturarum, et Patrum eos maxime abuti, qui sententiam Christianorum huic stoicae simillimam probant. Nam aliquam affinitatem inter hanc de sede animae opinionem, et illa verba sive quae leguntur *ad Rom.*, c. X, v. 10, *corde creditur ad iustitiam*, sive quae *Act.*, c. I, v. 24, et c. XV, v. 8, de Deo cordium scrutatore, et quae alibi similia sunt, nemo unquam Scripturarum interpret vidit, nec videre poterat; quoniam haec, aliaque ad internos animi sensus, affectionesque significantes dicta fuisse cuique perlegenti facilliter occurrunt. Item, ss. Patres, si cor aliquando veluti animi sedem constituunt, id docuerunt, ut cor principium affectuum esse inuenerent, atque Platoni obviam irent, qui omnes animi affectus a cerebro oriri senserat. Satis sit verba proferre, quae s. Hieronymus adhibet, nempe: « Est principale non secundum Platonem in cerebro, sed iuxta Christum in corde »; *Comm. in Ev. Matth.*, lib. II, c. 15.

³ *De Anim.*, c. 1.

⁴ *De immort. an.* c. 16, n. 23. « Per totum quippe corpus, inquit etiam, quod animat, non locali diffusionem, sed quadam vitali intentione porrigitur. Nam per omnes eius particulas tota simul adest, nec minor in minoribus, et in maioribus maior; sed alicubi intentius, alicubi remissius, et

gustini, aliorumque Patrum sententiam Doctores Scholastici pro virili parte defenderunt. Siquidem cum anima iuxta sapientes illos forma substantialis corporis sit, nec nisi una forma substantialis in corpore uno esse queat, profecto illam in toto corpore, et in singulis eius partibus esse necessario consequitur. Quoniam vero anima una est *essentia*, multiplex virtute, Scholastici illam in toto corpore, et in singulis eius partibus reperiri *totalitate essentiae*, non *totalitate virtutis* contendunt; nam anima in singulis corporis partibus non easdem operationes peragit, sed in aliquibus vegetat, sentit in aliis.

85. Quod si haec theoria de sede animae alteram de forma substantiali consequitur, nil mirum, si in philosophia recenti sicut forma substantialis, ita sedes animae in toto corpore in contemtionem venerit; et ideo doctrina de sede animae in certa quadam, et distincta corporis parte in scenam reducta fuerit. Cartesius animam in glandula pineali, ut in propria sede, collocavit. Ab hac sententia ferme omnes, qui ex Cartesii schola fuerunt, discessere; atque ex his nonnulli in corpore calloso, alii in cerebello, alii, ne de omnibus dicamus, in medulla cerebri animam posuerunt. Nisi quod Leibnitius, etsi pro harmonia praestabilita pugnaverit, tamen ea circa sedem animae docuit, quae Scholae doctrinae propiora videntur¹. Eadem vestigia pressit ab Rosminius, qui animam, utpote simplicem, nullum occupare locum, neque illi sedem hanc magis, quam illam convenire putavit².

ART. II. *Veritas sententiae Scholasticorum demonstratur*

86. Scholastici, ut supra diximus, ss. Patrum vestigiis insistentes, duo haec de animae sede docuerunt: 1° animam esse totam in toto corpore, et totam in qualibet eius parte; 2° illam in toto corpore, et in qualibet parte esse totam *totalitate essentiae*, at non virtutis.

87. Prop. 1°. *Anima est in toto corpore, et in qualibet eius parte*³.

in omnibus tota, et in singulis tota est »; *Epist. CLXVI*, c. 2, n. 4. Cf. *De Trin.*, lib. VI, c. 5, n. 8. Eadem fere verba occurrunt apud s. Ambrosium, *De dignit. cond. hum.*, c. 2.

¹ *Ad Rndum Patrem Des Bossès, Epist. XII.*

² *Antropol. in serv. della scienza morale*, lib. II, c. 7, a. 1, § 3, Coroll. II.

³ « Anima, inquit s. Augustinus, totum corpus nostrum animat, et vivificat »; *De agone christiano*, c. XX, n. 22.

Probatur prima pars. Anima, quemadmodum ostendimus, est forma substantialis corporis, seu est principium, quo totum corpus humanum vivit, et operatur: uno verbo, est proprius actus totius corporis organici, et non unius partis tantum. Atqui, si ita se res habet, animam in toto corpore esse necesse est¹. Ergo.

88. *Minor* ita demonstratur: Cum forma substantialis sit actus proprius materiae, haec ab illa esse suum accipit, ac proinde ita immediate forma substantialis cum materia coniungitur, ut nihil magis². Ergo, si anima est actus totius corporis, et non unius partis tantum, ipsa immediate in toto corpore, et non in aliqua eius parte tantum esse debet. Ex quo argumento illud consequitur, quod si anima in una parte corporis poneretur, non esset actus totius corporis organici, sed unius organi tantum, puta cordis, aut alicuius alterius, et reliquae partes essent perfectae per alias formas³; unde una anima in uno corpore non esset.

89. *Probatur altera pars.* 1° Principium illud, quod perficit totum, et non partes, forma accidentalis est, uti se res habet in forma domus, quae est forma totius, et non singularum partium. Atqui anima est corporis forma non accidentalis, sed substantialis. Ergo « sic anima est forma totius corporis, quod est etiam forma singularum partium, ac proinde singulis partibus corporis adesse debet⁴ ».

2° Hoc argumentum ex eo amplius declaratur, quod singulae partes corporis ab anima speciem sortiuntur, humanaeque appellantur, ita ut anima sit actus singularum partium corporis. Atqui actus, seu forma est in eo, cuius est actus. Ergo anima in qualibet corporis parte est⁵. Exinde etiam intelligitur ab iis philosophis, qui animam in capite, vel corde collocant, explicari non posse, quomodo anima, ibi suam sedem habens, singulis partibus sui corporis speciem communicet; nam anima principium specificum partium corporis esse non posset, nisi ipsis ita intrinsece praesens sit, ut unam cum illis completam substantiam constituat.

3° Nobis non licet spiritibus locum praefinire, nisi ab illorum

¹ *Contr. Gent.*, lib. II, c. 72. — ² Cf. *Cosmol.*, c. I, art. 5, p. 99.

³ *Qq. dispp.*, q. un. *De Anm.*, a. 10 c. — ⁴ *Contr. Gent.*, loc. cit.

⁵ I, q. LXXVI, a. 8 c.

operationibus¹. Atqui anima operatur in singulis corporis partibus, et quidem immediate. Ergo anima in singulis corporis partibus esse dicenda est. *Minor* probari potest ex eo quod in sensationibus evenit. Et sane, unusquisque experitur sensationes in illo puncto corporis fieri, cui revera accidunt ab obiectis sensibilibus. E. g., si quis manum igni admoveat, profecto caloris sensationem in manu sentit, quin totum brachium, vel cerebrum, vel alia corporis pars sit adusta². Atqui hoc esset falsum, si concipiatur anima uni parti praeesse, ab illaque motus in corpore cieri. Ergo anima immediate in singulis corporis partibus operatur, ac proinde in iis singulis est³.

4° Denique liceat argumento, quod dicunt *ad hominem*, adversarios impetere, atque utramque nostrae propositionis partem confirmare. Pars corporis, cui anima est alligata, aut est punctum indivisibile, et inextensum, aut pars extensa. Primum dici nequit, tum quia quaelibet pars corporis est extensa, tum quia nervulorum, fibrillarumque concussionem in puncto indivisibili coire non possunt. Igitur haec pars, sedes animi, extensa esse debet. Si igitur iuxta ipsos adversarios non repugnat aliquam extensionem ab anima informari, ne repugnat quidem extensionem, quam ipsa informat, esse totum corpus.

90. Prop. 2°. *Anima in singulis partibus corporis est tota.*

*Probat*ur ex eo, quod anima, cum sit simplex, non est circumscripta loco. Re quidem vera, illud, quod est *circumscriptive* in loco, numquam in singulis partibus est totum, quia, ut in *On-*

¹ «Incorporalia, inquit Angelicus Doctor, non sunt in loco per contactum quantitatis dimensionis, sicut corpora, sed per contactum virtutis»; I, q. VIII, a. 2 ad 1.

² Cf s. Aug., *Epist. CLXVI*, c. 2, n. 4. «Cum tangitur digitus, ait etiam (*Contr. Epist. Fundam.*, c. 16, n. 20), non per totum corpus sentit».

³ «Tota igitur, ita hoc argumentum a s. Augustino conficitur, singulis partibus simul adest, quae tota simul sentit in singulis»; *De immort. anim.*, c. 16, n. 25. Scimus adversarios, qui animam in cerebro esse, in eoque sensationes fieri docuerunt, id ex eo explicasse, quod nervorum fibrae, chordarum instar, tensae, cum in extrema parte concutiuntur, motum alteri parti cerebro appensae repente communicant. At quam falsa haec sint, iam s. Augustinus monuit. «Non enim, inquit, nuntio aliquo credibile est fieri non sentiente quod nuntiat, quia passio, quae fit, non per continuationem molis currit,.... sed illud tota sentit anima, quod in particula fit pedis, et ibi tantum sentit, ubi fit»; *De immort. anim.*, loc. cit.

tologia diximus¹, a loco, in quo est, exaequatur, ita ut pars in parte, et totum in toto sit; e contrario, quaecumque loco non sunt circumscripta, singulis partibus tota simul adsunt. Atqui anima, cum sit simplex, non ita corpori adiungitur, ut ab illo circumscribatur; «hoc enim convenit corpori locato, prout est quantum quantitate dimensionis²»; unde ipsa «est in corpore, ut continens, et non ut contenta³». Ergo ex eo, quod anima est simplex, ac proinde non est circumscripta loco, primum est intelligere eam esse totam in singulis corporis partibus⁴.

91. Id magis perspicuum ex eo fit, quod anima est simplex, quatenus extra genus quantitatis constituitur, non vero *ad modum simplicitalis puncti*⁵. Sane, ea, quae sunt simplicia *ad modum simplicitalis puncti*, cum habeant *determinatum situm in continuo*, non possunt esse simul in diversis partibus continui; e contrario, substantiae, quae sunt simplices, quatenus extra genus quantitatis constituuntur, non sunt in loco per contactum proprie dictum, quippe quia hoc genus tactus non nisi corporum est⁶, sed per contactum, quem vocant *virtutis*⁷. Hoc posito, tactus virtutis ab uno, vel pluribus locis non discriminatur, prout haec quantitative differunt, sed ab ipsa virtute, qua substantiae simplices in corpora agunt, fit ut ipsae in uno, vel pluribus locis simul sint⁸, dummodo earum virtus ad haec porrigatur. Atqui, cum anima sit simplex, tactus, quo ea cum corpore coniun-

¹ Cap. X, art. 1, p. 73-74. — ² I, q. LII, a. 1 c.

³ *Ibid.* Cf s. Dam., *De Fide orth.*, lib. I, c. 13.

⁴ Has rationes, quibus explicavimus quomodo anima tota in singulis corporis partibus esse possit, nos docuit Nemesius his paucis: «Anima, quod corporis est exper, neque loco definitur, tota per totum et lumen suum, et corpus permeat»; *De nat. hom.*, c. III. Huc spectat etiam illud s. Bonaventurae: «Quia simplex, non est secundum partem et partem sui..., non habet situm, et ideo nec est in puncto, nec in parte determinata»; *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, p. 2, a. 1, q. 3 in *resol.*

⁵ *Qq. disp.*, q. un. *De Anim.*, a. 10 ad 18.

⁶ «Sunt enim tangentia, quorum ultima sunt simul, et puncta, vel lineae, aut superficies, quae sunt corporum ultima»; *Contr. Gent.*, lib. II, c. 36.

⁷ «Agunt enim substantiae intellectuales in corpora, et movent ea, cum sint immateriales, et magis in actu existentes; hic autem tactus non est quantitatis, sed virtutis»; *ibid.* Cf p. 218, not. 1.

⁸ «Secundum quod virtus sua se potest extendere ad unum, vel multa, ad parvum, vel magnum, secundum hoc est in uno, vel pluribus locis, et in loco parvo, vel magno»; I, q. VIII, a. 2 ad 2.

gitor, est tactus *virtutis*. Ergo ex simplicitate animae explicatur, quomodo ipsa in pluribus partibus corporis tota simul esse possit ¹.

92. Ex his, quae demonstravimus, plane consequitur animam non esse totam in toto corpore *secundum quantitatem*, sed *secundum essentiae perfectionem*. Sane totalitas secundum quantitatem non nisi quibusdam formis imperfectis, atque insuper his non nisi *per accidens*, ratione extensi, quod informant, convenit ²; id quod de anima, quae a corpore non pendet, nullo pacto dici potest. Est autem anima tota in qualibet parte corporis totalitate essentiae. Si enim etiam formae corporales, e.g. albedo, secundum totam suam essentiam sunt in qualibet parte materiae, potiori iure id de anima tenendum est ³.

93. Prop. 3^a. *Anima in singulis partibus corporis non est tota secundum totam suam virtutem.*

Probalur. Operationes sensitivae, et vegetativae per diversa organa corporis exercentur, ita ut diversae partes corporis conveniant diversis operationibus animae ⁴. Ergo anima secundum illam potentiam tantum est in aliqua parte, quae respicit ad operationem, quae per illam partem corporis exercetur. E. g., animae est, « secundum visum in oculo, secundum auditum in aure, et sic de aliis ⁵ ».

¹ Praestat audire s. Thomam: « Simplicitas animae, et Angeli non est existimanda ad modum simplicitatis puncti, quod habet determinatum situm in continuo, et ideo quod simplex est, non potest esse simul in diversis partibus continui. Sed Angelus et anima dicuntur simplicia per hoc, quod omnino carent quantitate; et ideo non applicantur ad continuum, nisi per contactum virtutis; unde totum illud, quod virtute Angeli contingitur, respondet Angelo, qui non unitur ut forma, ut locus unus; et animae, quae unitur ut forma, ut perfectibile unum; et sicut Angelus est in qualibet parte sui loci totus, ita et anima in qualibet sui perfectibilis tota »; *Qq. disp.*, q. un. *De Anim.*, a. 10 ad 18.

² « Uni formae non competit totalitas numeri, nec magnitudinis, nisi forte per accidens, puta in formis, quae per accidens dividuntur divisione continui, sicut albedo per divisionem superficiei »; *Qq. disp.*, q. un. *De Anim.*, a. 4 c. Cf. *Cosmol.*, c. V, art. 4, p. 134-135.

³ Cf. s. Bonav., *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, p. 2, a. 1, q. 3 ad arg.

⁴ Quod spectat ad virtutes intellectivas, has, utpote nullo organo utentes, nusquam corporis esse dicendum est. « Intellectus, et voluntas, quae sunt in anima, secundum quod excedit totam capacitatem corporis, in nulla parte corporis proprie esse dicuntur »; I, q. LXXVI, a. 8 ad 4.

⁵ I; q. LXXVI, a. 8 c.

ART. III. *Adversariorum obiectiones diluuntur*

94. Obiic. 1^o Compressa, vel putrefacta medulla cerebri, atque laborante cerebro, vel nervo inter organum sensorium, et cerebrum, sensationes omnino deficiunt. Atqui haec demonstrant sensationes exerceri in cerebro, ac proinde animam non nisi in cerebro esse. Ergo.

95. Resp. *Neg. min.* quoad utramque partem. Re quidem vera, in primis, ex allatis experimentis illud, quod iam ostendimus, sensationes nempe in singulis organis fieri, haud evertitur. Etenim opportuna eorum phaenomenorum ratio ex eo redditur, quod cum cerebrum sit veluti centrum totius systematis nervi, quin immo principium, a quo omnes nascuntur nervi, qui sensationi inserviunt, profecto nervi sensifici tunc propriam naturam retinebunt, si et suam cerebrum retinuerit; ac proinde si comprimitur, aut putrefit medulla cerebri, vel cerebrum laborat, nervi naturam sensiferam amittunt, atque functionem referendi impressionem sensilem obire nequeunt. Ceterum, allata obiectio in ipsos adversarios retorqueri potest. Nam, quemadmodum, corrupto cerebro, sensatio deficit, ita hanc, corruptis organis, deficere eadem experientia testatur. Quocirca, si ex adversariorum obiectione sequitur sensationes in cerebro perfici, pari ratione ab hac ultima testata experientia inferre nobis licet sensationes in organis fieri.

96. Secundo, praeter vim sentiendi anima aliis virtutibus pollet, quas per alias corporis partes exercet. Quapropter si experimenta ab adversariis in medium prolata quid valerent, animam in cerebro secundum totam virtutem sensitivam esse demonstrarent ¹, sed inibi tantum ipsam residere numquam probabunt.

97. Obiic. 2^o Anima est in eo corpore, cuius est actus, hoc est in corpore organico. Atqui quaelibet pars corporis non est corpus organicum. Ergo.

¹ Alienum a veritate prorsus non est animam in cerebro esse secundum totam virtutem sensitivam, non quod in cerebro omnia sensilium genera sentiat, sed quia, ut in *Dynam.* (c. III, art. 7, p. 120, vol. I) diximus, encephalum, sive systema cerebro-spinale est organum sensus communis, qui velut aliquis fons totam virtutem sensitivam continet, ab eoque reliqui sensus, tamquam rivuli, deducuntur.

98. Resp. *Dist. mai.*, ita ut non sit in partibus corporis organici primo, et per se, *conc. mai.*, ita ut non sit in eis, prout ad totum referuntur, *neg. mai.* Eadem ratione *dist. min.*, quaelibet pars corporis non est corpus organicum, sed tamen ad illud ordinatur, *conc. min.*, secus, *neg. min.* *Neg. cons.* Anima humana, quippe quae ceteris formis superior est, ea virtutis perfectione pollet, ut diversas exerere possit operationes; et ideo corpus, quod anima informat, diversis organis instructum esse debet, ut per haec ad diversas operationes exercendas idoneum efficiatur¹. Quapropter non nisi totum corpus, quod nempe ex diversis organis constituitur, est proprie, sive *principaliter* et *per se* illud, quod ab anima informatur. At vero, quia partes habent ordinem ad totum, consequitur animam, quae est forma totius corporis, ac proinde est in toto corpore, esse etiam formam singularum partium, ideoque in his singulis residere².

99. Obiic. 3^o Si anima in qualibet parte corporis est, crescentibus partibus corporis, anima, ut esse possit, ubi prius non erat, iterum creetur oportet; et, ablata quacumque corporis parte, vel illinc excedit anima, vel commigrat ex illa parte in alias. Atqui falsum consequens. Ergo et antecedens.

100. Resp. *Neg. mai.* Et sane, quod spectat ad primum, illa iterata creatio non expostulatur; nam, crescentibus partibus corporis, anima non proprie incipit esse, ubi prius non erat, sed, cum sit forma corporis secundum essentiam, crescentibus huius partibus, anima eas vivificare incipit³. Quod attinet ad alterum; et dicendum, s. Thomas inquit, quod, praecisa parte,

¹ *Qq. dispp.*, q. un. *De Sp. cr.*, a. 4 c.

² « Corpus organicum est perfectibile ab anima primo, et per se, singula autem organa, et organorum partes in ordine ad totum »; *Op. cit.*, loc. cit., ad 13. Exinde duo facile intelliguntur. Primum est, quod etsi anima sit in qualibet parte corporis, tamen non singulae partes corporis sunt animal. « Anima non est in qualibet parte corporis primo, et per se, sed in ordine ad totum, et ideo non quaelibet pars animalis est animal » (*Ibid.* ad 2). Alterum est, quod anima, cum sit in singulis corporis partibus, in pluribus locis non est. Etenim eo modo anima est in singulis corporis partibus, quo ad eas veluti forma comparatur. Atqui forma comparatur « ad partes per posterius, secundum quod partes habent ordinem ad totum » (I, q. LXXVI, a. 8 c.). Ergo ex eo, quod anima in singulis partibus est, in pluribus locis eam esse perperam infertur. Cf p. 220, not. 1.

³ *Qq. dispp.*, q. un. *De Anim.*, a. 10 ad 17.

non requiritur quod auferatur anima, vel quod ad aliam partem transmutetur, nisi poneretur, quod in illa sola parte anima esset, sed sequitur quod illa pars desinat perfici ab anima totius⁴.

101. Obiic. 4^o Nihil eius, quod est totum in aliquo loco, potest esse ultra locum illum. Atqui in una parte corporis anima est tota. Ergo nihil animae in ceteris corporis partibus esse potest.

102. Resp. *Dist. mai.*, si agatur de toto *secundum quantitatem*, *conc. mai.*, si de toto *secundum essentiam*, *neg. mai.*; *dist. etiam min.*, est tota *secundum essentiam*, *conc. min.*, *secundum quantitatem*, *neg. min.* *Neg. cons.* Equidem illud, quod habet partes extra partes, ita est in aliquo, ut quaelibet pars eius respondeat parti eius, in quo est; proindeque si sit totum in aliquo, nequit esse in alio. At e contrario, anima, ut diximus, ideo est tota in qualibet parte corporis, quia simplex est, et loco non circumscibitur; proindeque est tota non secundum quantitatem, seu aliquam *totalitatem partium*, sed secundum essentiam, seu *perfectionem suae naturae*². Iam, cum anima sit secundum essentiam tota in una parte corporis, profecto « nihil animae est extra animam, quae est in hac parte corporis; non tamen sequitur quod animae nihil sit extra hanc partem corporis; sed quod nihil sit extra totum corpus, quod principaliter perficit³ ».

CAPVT VI.

De essentia animae humanae

Discrimen inter animam, et corpus in praesenti pro certo sumentes, haec circa animae humanae essentiam inquirimus: 1^o an ad genus substantiae pertineat; 2^o quanam eius definitio sit; 3^o quid de illorum sententia dicendum, qui essentiam animae humanae in cogitatione, vel in cogitandi vi constituunt.

ART. I. Substantialitas animae contra Sensistas vindicatur

103. Humius⁴, et Condillachus⁵, secundum Lockii placita⁶,

¹ *Op. cit.*, q. un. *De sp. cr.*, a. 4 ad 15.

² *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, q. V, a. 3 ad 7.

³ *Qq. dispp.*, q. un. *De An.*, a. 10 ad 3.

⁴ *Tract. hum. nat.* (angl.), lib. II, part. IV, c. 6.

⁵ *Traité des sensations*, part. I, c. I, § 2.

⁶ Cf *Ontol.*, c. VII, art. 2, p. 41. Paucis abhinc annis H. Janeus (*La*